

## De Restitutione propter

annis dum viuit quinquaginta, & si non reliquit nisi vxorem, vel fratres? his nihil tenetur, nisi de iniuria, vt dictum est, quia vxor potest viuere de fructibus dotis suæ, vel transire ad secunda vota, & fratres nihil interesse passi sunt in factu. simili modo potest in alijs procedi. Si autem occisus erat homo pauper, qui labore, & sudore familiam alebat: ait Scotus quo supra, homicida tenetur omnes, quos alebat defunctus, nutrire: quem sequitur Adrianus, quam sententiam temperat Sotus loco supra citato dicens: hanc obligationem non extendi, nisi ad filios, nepotes orbatos, parentes, & vxorem, dum in viduitate viuit, hos enim tenebatur sustentare, si egerent, & ratio est, quia homo est quoddam bonum non solum suum sed etiam prolis, parentum, & uxoris, & ideo qui hominem gladio sustulit, illis sustulit: cæteros autem, quos alebat sua liberalitate officius, non tenetur homicida subuenire, quia illa liberalitas, & charitas occisi non transit in obligationem homicidæ: alias teneretur etiam famulis, & amicis, quos defunctus alebat.

15 Dubitatur modo, an qui alium occidit seu percussit, si puniatur a iudice, & teneatur etiam ad soluendum damnum illatum parti læsæ?

Respondetur cum D. Thom. 2. 2. quæstio. 64. artic. 5. Qui hominem iniussu occidit, seu percussit, facit iniuriam Deo, reipublicæ, & parti læsæ: vnde tripliciter remanet obligatus, scilicet Deo, cui satisfacere tenetur per pœnitentiam pro peccato commisso. Obligatur quoque parti læsæ, vt dictum est supra: quia lex naturalis, & diuina præcipit, vt reficiatur damnum parti læsæ, reducendo ad æqualitatem iustitiæ, etiam si a iudice reus puniatur, quia illa punitio, quæ inrogatur in vindictam publicam, fit in satisfactionem iniuriæ illatæ reipublicæ. I. vulneratus. ff. ad legem Aquilianam: sicut, qui obligatur duobus pro diuersis causis, & rebus, non liberatur ab altero, si vni soluit: ita quod qui publicam pœnam in satisfactionem reipublicæ patitur a iudice, non liberatur a debito privato, quod debet parti læsæ.

Vnde sequitur, si committens homicidium suspenditur, aut decollatur a iudice, hæreses suspensi, seu decollati tenentur reficere damnum illatum a delinquente parti læsæ, sicut tenentur ad omnia alia debita ab eo relicta. l. r. cod. ex delicto defuncti: Nisi parentes, & hæreses defuncti occisi peterent sibi satisfacere pro omnibus damnis sibi illatis, per suspensionem, aut decollationem delinquentis, quia tunc eius hæreses liberantur ab hoc debito: vt ait Nauarrus. cap. 15. nu. 22. Et quod dictum est de hæredibus homicidæ, intelligendum est quoque de hæredibus furis, qui suspenditur ob commissa furta.

16 Dubitatur secundo: & si alius innocens inculpetur de homicidio occulto, & multas pariat expensas pro sua defensione: an homicida teneatur reficere damnum, quod patitur? Dicitur quod non: si quod patitur innocens, non est culpa sua. Sotus quo supra. Nec tenetur se prodere vt illum absoluat, sed sufficit, si per confessarium iudicem certificet de innocentia inculpatis. Secus si excusando se illum indirectè inculparet: aut hoc faceret occultè, animo deliberato nocendi illi, homicidium ei ascribendo, ex præsumptione inimicitie cum occiso, quia tunc tenetur ad omne damnum ex huius occasione fecutum.

17 Dubitatur tertio: an qui percussit, aut occidit, & delictum est occultum, teneatur se prodere, & infamare, vt restitutionem faciat?

Dicitur quod non: sed illam facere debet per confessarium fide dignum, & si dubitatur de persona, aut alia fide digna haberi non potest, per quam illam faciat, debet expectare occasionem, & commoditatem illam faciendi sine scandalo, & infamia ipsius, quia fama est præferenda bonis temporalibus; tanquam res superioris ordinis, vt dictum est supra.